

¶ *um de diuinarum rerum similis contemptus fuit .  
Sed cum alijs in rebus continentior cæterarum na-  
tionum militibus hætenus fuit tum singulari religio-  
ne uim a sacris rebus abstinuit . Nunc autem  
o dij immortales quam dissimilis hic exercitus , mai-  
orum nostrorum fuit? quam longe degenerauit a ue-  
terum modestia . Maiores nostri nihil præter uicto-  
riæ laudem cupiebant domum reportare . Itaq;  
nec priuatorum fortunas diripiebant , tantum abest  
ut attigerint res sacras . Nec procul exempla con-  
tinentiæ requirenda sunt , Quis toto Veneto bello a  
Maximiliani exercitu unum oppidum audiuit di-  
reptum esse? Nemo profecto . Et Maximilianus  
ipse cum esset in puniendis delictis lenissimus, tamen  
in uindictanda auaritia militum, acerrimus fuit . Ete-  
nim cum in eo bello capta Vincentia , quidam iniussu  
suo in aliquot ciuium ædes prædandi causa impe-  
tum fecissent , statim totam illam cohortem oppres-  
sit, & plures ducentis securi percuti iussit , ut eo  
exemplo ostenderet, non omnia uictoribus in uictos  
licere .*

*Habes Carole Cæsar auitum exemplum .  
quid de exercitu iudicare te oporteat , Qui auaricia  
corruptus omnia diuina atq; humana iura uiolauit .  
Et haud scio an noceat nostris hominibus contagio  
Hispano*